





D E  
H I E R A R C H I A


E T  
H I S T O R I A E C C L E S I A S T I C A  
L I T T E R A R I A E E X E R C I T A T I O N E S

I N S E M I N A R I O R O M A N O H A B I T A E

A  
C O N V I C T O R I B U S E T A L U M N I S

E I V S D E M S E M I N A R I I

M E N S E I V N I O , A N N O C I D . I D C C . L X I I .




R O M A E

---

T Y P I S D E R V B E I S A P V D P A N T H E O N I N V I A S E M I N A R I I R O M A N I .  
P R A E S I D V M P E R M I S S V .





EXERCITATIO PRIMA  
 DE ECCLESIASTICI HIERARCHAE  
 LEGISLATIVA POTESTATE,  
 ELECTIONE, ORDINE;  
 ET HISTORIA  
 SAECVLI III.



PRÆFABITVR D. Joannes Paullus Andriani,  
 Abbas S. Martini, contra Protestantes osten-  
 dens, non tantum Hierarchiae nomen, sed  
 & rem ipsam Ecclesiae Catholicae conveni-  
 re; veram scilicet potestatem Fideles gu-  
 bernandi per doctrinam, praecepta, ac leges aptas spirituali  
 bono ad finem aeternae beatitudinis.

Post praefationem propugnabuntur sequentes theses,  
 earum momenta expendendo, &, quae contra objecta fue-  
 rint, diluendo.

# DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

## DE LEGISLATIVA HIERARCHAE ECCLESIASTICI POTESTATE.

Defendent

D. ALEXANDER MATTEI, Abbas S. Crucis, ex Ducibus Jovii, Academicus Redivivus. D. Comes S. Andreae FRANCISCVS TESDE, Bondeni Abbas, Academicus Redivivus.

I.



*Constitutionem Apostolicam Romae solum promulgatam (secluso speciali privilegio a S. Sede concessio) habere vim legis in universa Ecclesia.*

II.

*Declarationes Eminentissimorum Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum esse authenticas, & universos Fideles pro utroque foro obligare.*



Solutis objectionibus, quae contra has Conclusiones propositae fuerint, sequentia singula quaesita pro adstantium arbitrio ac delectu resolvent iidem.

III.

*Quid sit lex? Quis ecclesiasticam, quis civilem legem ferre possit?*

IIII.

*Quae sit legis materia? quinam legibus obligentur?*

V.

*An Hierarcha ecclesiasticus possit directe praecipere actus in re internos, ut Charitatis, Fidei, &c.?*

De

## VI.

*De Fidei externa professione quid statuatur jus commune? quinam & quando illam emittere teneantur? quinam secundum jus statutum in Concilio Lateranensi sub Benedicto XII?*

## VII.

*An qui Beneficium amisit, & postea illud recuperavit, debeat iterum professionem Fidei emittere?*

## VIII.

*Qui culpabiliter hanc professionem post duos menses omittit, an teneatur Beneficii redditus restituere etiam ante sententiam judicis?*

## VIII.

*An valeat Fidei professio per procuratorem edita?*

## X.

*Num clerici obligentur legibus civilibus?*

## XI.

*An peregrini teneantur statutis sui domicilii, a quo absunt?*

## XII.

*An teneantur statutis loci, per quem transeunt?*

## XIII.

*Num ad legem ecclesiasticam vel civilem necessaria sit populi acceptatio?*

## XIII.

*Lex mere prohibens irritet ne etiam actum?*

## XV.

*Quid sit & quotuplex legis interpretatio?*

## XVI.

*Quid requiratur ad licitam, quid ad validam dispensationem? & quomodo haec sit interpretanda?*



Ex l. i. ff. de Constit. Princip., QVOD PRINCIPI PLACUIT,  
LEGIS HABET VIGOREM; hinc poterunt iidem interrogari:

## XVII.

*Quid & quotuplex sit rescriptum? quas contineat partes?  
quomodo interpretandum?*

## XVIII.

*An rescriptum subreptitium sanetur per clausulam motu proprio?*

## XVIII.

*An sit obreptitium, si ex duabus allatis causis una tantum sit vera?*

## XX.

*Quod tempus respiciendum sit in rescriptis gratiae? & quomodo rescripta beneficialia sint interpretanda?*

## XXI.

*Quae vitia rescriptum invalident?*

## XXII.

*An rescriptum obreptitium vitietur quoad petitiones non connexas cum illa, circa quam dolus commissus est?*

## XXIII.

*Quid sit lex non scripta seu consuetudo? & quae ad legitimam consuetudinem inducendam necessario requirantur?*

## XXIII.

*Ex quibus conjecturis desumi possit, an consuetudo obliget in conscientia?*

## XXV.

*Quomodo consuetudo per legem abrogetur?*


## XXVI.

*Quae sint principia communiter circa consuetudinem admissa?*  
An



## XXVII.

*An laici per consuetudinem acquirere possint jurisdictionem in clericos.*



DE ECCLESIASTICI HIERARCHAE  
ELECTIONE.

**A** Legibus ad Legislatores gradum facimus. Quum vero ad ecclesiasticam hierarchiam quadruplex pandatur via, *postulatio, electio, translatio, & renuntiatio a possessore priori facta*; interrogari poterunt

D. Joannes Paullus Andriani, D. ALEXANDER MATTEI, ex Ducibus Joviæ.  
Abbas S. Martini.

## XXVIII.

*Quid & quotuplex sit postulatio ad praelaturam; & quomodo differat ab electione?*

## XXVIII.

*Qui postulare, & qui postulari possint?*

## XXX.

*An in postulatione sit necessario adhibenda forma a sacris canonibus constituta pro electione?*

## XXXI.

*Quid sit statuendum si quando electio concurrat cum postulatione?*

## XXXII.

*Quid sit electio? & quomodo differat a praesentatione & libera collatione?*

## XXXIII.

*Quinam ecclesiasticum hierarcham eligere possint?*

## XXXIII.

*An possidens Canonicatum bona fide habeat jus suffragii?*

## XXXV.

*Quinam ad electionem canonica habeant impedimenta?*

## XXXVI.

*Electio quamdiu differri possit? & quomodo tempus ad electionem concessum per canones sit computandum?*

## XXXVII.

*Ad electionem qui necessario sint vocandi; qui tuto omitti possunt?*

## XXXVIII.

*Quot suffragia sufficiant ad electionem canonicam? & an sit regulariter licitus accessus?*

## XXXVIII.

*An absens possit constituere procuratorem; aut suffragium mittere clausum?*

## XXXIX.

*Quosuplex sit electionis forma a jure positivo admissa?*

## XXXIX.

*In compromisso quot suffragia requirantur? & quid in ipso possit suffragium proprium?*

## XXXIX.

*An valeat electio a laicis gravi metu extorta?*

## XXXIX.

*An valeat electio indigni aut minus digni?*

## XXXIX.

*An occultus irregularis electus possit petere confirmationem a Superiore?*

*An*

## XXXXV.

*An confirmationem possit petere, qui sciat, non fuisse servatam ab electoribus praescriptam electionis formam?*

## XXXXVI.

*An per confirmationem electio alias invalida valida fiat etiam in foro externo?*

## XXXXVII.

*An Episcopus electus ante confirmationem functiones aliquas episcopales exercere valeat?*

## XXXXVIII.

*Quid sit episcopi translatio; & qui illius effectus?*

## XXXXVIII.

*Episcoporum translatio quandoam valida, quando licita sit?*

## L.

*An Episcopus transferri possit a Papa etiam invitus?*

## LI.

*Quid pallium significet, & qui ecclesiastici hierarchae eorum utantur?*

## LII.

*Quando & ubi liceat pallio uti, & an etiam in loco exempto?*

## LIII.

*Num Archiepiscopus ante acceptum pallium Ordines sacros conferre possit? & in novam dioecesim translatus an novum petere debeat?*

## LIII.

*Quid & quotuplex sit renuntiatio, & qui ipsius effectus?*

## LV.

*Qui possint resignare & quae Beneficia?*

## LVI.

*An valeat resignatio metu extorta*

## LVII.

*In quibus casibus ad resignationem sufficiat auctoritas Episcopi; in quibus auctoritas Summi Pontificis sit necessaria?*

## LVIII.

*Quomodo computandi sint dies viginti requisiti stylo curiae pro valore resignationis?*

## LVIII.

*An valeat resignatio facta in fraudem & damnum alterius?*

## LX.

*Quis supplere debeat negligentiam Ordinarii in collatione beneficiorum?*

## LXI.

*An Archiepiscopus supplere possit negligentiam Suffraganei in administranda justitia? & quando, viuo Episcopo, Capitulum Cathedralis possit administrare dioecesim?*



## DE ECCLESIASTICI HIERARCHAE ORDINE.

**H**ierarcha ecclesiasticus sacris ordinibus insigniri debet.  
Hinc quaeri poterit ab iisdem.

## LXII.

*Quid sit Ordo? qui ordinarius minister Ordinis? qui extraordinarius?*

## LXIII.

*Minores & majores Ordines quibus diebus conferri possunt?*

## LXIII.

*Quotuplex sit titulus ad Ordinationem requisitus?*

*Quae*

## LXV.

*Quae necessaria sint ad validam, quae ad licitam Ordinationem?*

## LXVI.

*Litteras dimissorias quis Ordinandis concedere possit?*

## LXVII.

*Quis possit, & quibus in circumstantiis dispensare in interstitiis?*

## LXVIII.

*Quot modis quis fiat subditus Ordinario, ut ab ipso vel dimissorias litteras accipere, vel ordinari possit?*

## LXVIII.

*An & quibus conditionibus Praelati Regulares possint dare dimissoriales suis Religiosis?*

## LXX.

*Quid sit scrutinium & quotuplex? quale necessario praemitendum ordinationi? quo in casu omitti licite possit?*

## LXXI.

*Num Ordinandus teneatur in conscientia manifestare occulta ad ordines suscipiendos impedimenta?*

## LXXII.

*Quas poenas incurrat absque dimissorialibus vel examine Ordinans & Ordinatus?*

## LXXIII.

*Quos Ordines conferre possit, qui renuntiavit dignitati episcopali? quos, qui renuntiavit loco tantum?*



## DE HISTORIA ECCLESIASTICA

S A E C V L I III.



Uum superiore anno de quaestionibus ad I. & II. Ecclesiae Saeculi historiam spectantibus differuerint; jam, quae sequuntur, ad III. Ecclesiae Saeculum pertinentia quaesita pro adstantium delectu resolvere parati erunt  
 D. FERDINANDVS SALVZZO, ex Ducibus Coriliani, Academicus Redivivus.      D. Marchio FRANCISCVS CLARELLI, Academicus Redivivus.

D. Baro IOSEPHVS GAVOTTI, Academiae Redivivorum Candidatus.

LXXIII.

*Quinam S. Petri Cathedram III. Christi Saeculo, quamdiu, & quanta cum laude obtinuerint?*

LXXV.

*Quae praecipua Romanorum Pontificum gesta? quae decreta fuerint ab ipsis edita?*

LXXVI.

*Verum Marcellinus Papa thur idolis in persecutione Diocletiani adoleverit; an potius ipsius crimen & Sinuessanum Concilium sit commentitium?*

LXXVII.

*An Philippi Caesares Christiani fuerint?*

LXXVIII.

*Qui Romani Imperatores, & quamdiu hoc Saeculo Christi Ecclesiam sint persecuti?*

## LXXVIII.

*Qui celebriores fuerint Martyres? & quae genuina ipsorum acta?*

## LXXX.

*De libellis indulgentiae, quos Martyres lapsis in persecutione concedebant, quid tradant ecclesiastici scriptores?*

## LXXXI.

*An, qui libellos indulgentiae obtinuerant, etiam ante sedatam persecutionem & ante peractam poenitentiam, in mortis discrimine communionem consequerentur?*

## LXXXII.

*An omnes, qui Libellatici dicuntur a Patribus, Fidem christianam abnegaverint?*

## LXXXIII.

*Quot scriptores ecclesiastici in hoc Saeculo floruerint? Quae genuina ipsorum opera? quae suppositicia?*

## LXXXIII.

*Templorum veterum quae forma fuerit? Quae adhuc Romae exstant antiquam servantia structuram & praecipua ornamenta?*

## LXXXV.

*Qui fuerint Novatianorum errores? & quae Concilia ad ipsorum schisma & haeresim profligandam fuerint celebrata?*

## LXXXVI.

*Paulli Samosateni quis error praecipuus? & in quibus Conciliis fuerit damnatus?*

## LXXXVII.

*In quos errores inciderit Origenes? & quando ab Ecclesia anathemate fuerint proscripti?*

*Qui*

## LXXXVIII.

*Qui Episcopi in Africa & Provinciis Orientalibus invali-  
dum haereticorum baptisma propugna-verint?*



DE CONTROVERSIA S. CYPRIANI  
CVM S. STEPHANO PAPA.

**Q**Uoniam plurimi recentiores heterodoxi diffidio S. Cypriani cum S. Stephano Summo Pontifice in quaestione de haereticorum baptismo, & laudibus, quibus Cyprianus a S. Augustino extollitur, ad Sedis Apostolicae & Ecclesiae auctoritatem deprimendam abutuntur; has propositiones idcirco indiscriminatim defendet pro argumentantium delectu

D. IOSEPHVS STVBENBERG, S. R. I. Comes,  
Academiae Redivivorum Candidatus.

## LXXXVIII.

*Ea omnia opuscula, quae ad probandam Cypriani resistantiam afferuntur, Epistolae S. Martyris ad Fubajanum & ad Pompejum, ac duo Concilia Carthagenensia, SVB CYPRIANI NOMINE A PRAESVMTORIBVS ATQVE MENDACIBVS FVERE CONFICTA; ut ait S. Augustinus.*

## XC.

*Idem tuto adferi potest de Epistola Firmiliani ad Cyprianum.  
Hinc S. Martyr numquam S. Stephano Papae restitit.*

## XCI.

*Quaestio de valore baptismi ab haereticis collati (permissis  
tamquam genuinis iis opusculis, ut omne ad-versariis effu-  
gium*



gium eripiatur) merae disciplinae existimata fuit a S. Cypriano, ad Fidem minime pertinens.

## XCII.

S. Stephanus Papa nullum dogmaticum decretum hac super recidit, neque Cyprianum excommunicavit.

## XCIII.

S. Augustinus non solum non laudavit Cypriani resistantiam, sed illam aperte reprobat.

## XCIII.

Idem S. Doctor numquam affirmavit, Oecumenicum dumtaxat Concilium S. Cypriano fuisse audiendum.

## XCV.

Quinimmo, ex Augustini sententia, S. Cyprianus subscripsisset Stephani decreto, si rem Pontifex tota Sedis Apostolicae auctoritate definiisset.

## XCVI.

Doctrina S. Cypriani de Sedis Apostolicae auctoritate novatoribus minime favet.

## XCVII.

Infideliter omnino La-bordius [in Libro, cui titulus *Testoignage de la verité*] S. Cypriano tribuit tria haec principia, quasi tres Fidei articulos a S. Doctore in Libro de *Unitate Ecclesiae* statutos: I. EPISCOPATVM ESSE VNVM ET INDIVISVM: atque hinc divisionis & schismatis tempore praevicatorum numerum, magnus sit vel exiguus, auctoritati Cathedrae & integritati minime nocere.

## XCVIII.

2. EPISCOPATVM ESSE VNVM, CUIVS A SINGVLIS IN SOLIDVM

PARS

PARS TENETVR; adeoque totam Cathedrae auctoritatem non solum in toto corpore, sed in singulis ejus membris residere.

XCVIII.

3. HOC FUISSE APOSTOLOS, QVOD FVIT PETRVS, PARI CONSORTIO PRAEDITOS HONORIS AC. POTESTATIS: atque hinc & Episcopos Apostolorum successores, & Romanos Pontifices, qui Petro succedunt, aequali potestate pollere.



# EXERCITATIO SECVNDA

## DE QUALITATIBVS AC MVNERIBVS HIERARCHAE ECCLESIASTICI, ET HISTORIA SAECVLI III.



**I**N praefatione demonstrabit D. Josephus Polsinelli, falsum esse Quaesnellii systema de promulgatione Sedis Apostolicae decretorum primis Ecclesiae saeculis, & Codicem Canonum ab ipso vulgatum arbitrario appellari *Codicem Canonum Ecclesiae Romanae*.

Post praefationem satisfiet singulis sequentibus quaestis prout adstantibus libuerit.

### DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

#### DE QUALITATIBVS, QVAE IN HIERARCHA ECCLESIASTICO REQVIRVNTVR; ATQVE HINC DE IMPEDIMENTIS AD ORDINES SVSCIPIENDOS.

Respondebunt

D. Michaël Angelus Abrugia. D. Josephus Polsinelli.

I.



*Quae qualitates requirantur in promovendis ad ecclesiasticam hierarchiam?*

II.

*An Canonicatus valide conferatur non habenti aetatem praescriptam? An peccet, qui Beneficium Curatum vel Simplex suscipiat sine animo accipiendi Ordinem adnexum? & quas poenas incurrat?*

B

A12

## III.

*An licita sit collatio Beneficii simplicis minus digno? & an in collatione Canonicatus dignior aliunde postponi possit ex defectu nobilitatis?*

## IIII.

*An Summus Pontifex possit simplici presbytero committere potestatem conferendi Sacramentum Confirmationis, & benedicendi oleum? an etiam conficiendi sacrum chrismata?*

## V.

*Qui ecclesiastici hierarchae sacro chrismate, qui oleo benedicto ungi debeant? An & quando oleo sacro possit licite admisceri non benedictum?*

## VI.

*An sacerdos peregrinus admitti possit ad exercendos sacros Ordines sine litteris commendatitiis a Parocho aut a Praelato Regulari exempto?*

## VII.

*Quandonam admitti possit, si juret, se sacerdotem esse, nec ullo obstructum canonico impedimento?*

## VIII.

*An filius illegitimus promoveri possit ad aliquod Beneficium in ecclesia, in qua pater Beneficium obtinet?*

## IIIIII.

*An dispensatus ad sacros Ordines eo ipso sit dispensatus ad aliquod Beneficium simplex?*

## X.

*An filius legitimus possit acquirere Beneficium, quod immediate antea habuit pater?*

## XI.

*Quot sint servorum genera? quorumnam Ordinatio licita non sit invito domino?*

## XII.

*Repetere ne possit dominus adscriptitium & originarium servum, se invito vel inscio, ordinatum, vel etiam Religionem ingressum?*

## XIII.

*Num ordinari possit obligatus ad ratiocinia, sed fidejussorem praestans? num etiam syndicus & administrator hospitalium?*

## XIII.

*An ordinari possit iudex & pupillorum tutor? an debitor ex mutuo & emtione? an obligatus militiae? Quis cum ipsis dispensare possit? Quid vero statuendum, si absque dispensatione ordinati sint?*

## XV.

*Quae corporis vitia ab Ordinibus removeant?*

## XVI.

*Quid statuendum, si post Ordinationem ea corporis vitia contrahantur?*

## XVII.

*Quis dispensare possit super irregularitate ex vitio corporis inducta?*

## XVIII.

*Quid & quotuplex sit bigamia ab ordinibus arcens?*

## XVIII.

*An sit irregularis qui in infidelitate duas duxit uxores? quid statuendum de illo, qui, post primum matrimonium, secundum invalide contraxit?*

XX.

*An irregularitatem incurrat Subdiaconus ; qui cum dispensatione Summi Pontificis matrimonium contrahit ?*

XXI.

*Quis possit in his dispensare ? an in omnibus Pontifex ? an in aliquibus dispensare possit etiam Episcopus ?*



## DE MVNERIBVS HIERARCHAE ECCLESIASTICI

Respondebunt

D. Franciscus de Vecchiis. D. Dominicus Filippetti.

XXII.

**V***icarius Episcopi quotuplex sit ? Quas qualitates, quam praeminentiam habere debeat ?*

XXIII.

*Quaenam sit potestas Vicarii Generalis ? an possit excommunicare, & ab excommunicatione absolvere ?*

XXIIIJ.

*An Vicarius Generalis judicare possit de causis matrimonialibus sine mandato speciali ?*

XXV.

*An jurisdictio Vicarii Generalis sit ordinaria vel delegata ?*

XXVI.

*Vicarius Capituli quas qualitates habere debeat ? A quo constituitur ? an semel constitutus possit ab officio amoveri a Capitulo ?*

*An*

## XXVII.

*An Vicarius Capituli ex vi generalis concessionis possit ea negotia expedire, quae mandatum speciale exigunt? & quibusnam dare possit dimissorias litteras?*

## XXVIII.

*Quid sit & quotuplex Vicarius in divinis? Quam sustentationem, & a quo designandam, habere debeat?*

## XXVIII.

*An possit Episcopus in Parochia pleno jure Monasterio incorporata constituere Vicarium perpetuum? & an Vicarius perpetuus alium Vicarium substituere possit?*

## XXX.

*Legatus Apostolicus quis dicatur? Quam habeat potestatem? & an statim, ac sit revocatus, potestatem amittat?*

## XXXI.

*Legati Apostolici missi cum potestate Legati a latere quae sit potestas? an possit absolvere a censuris quoscunque, etiam Sede Apostolica vacante, etiam revocatus?*

## XXXII.

*Quid sit Archidiaconatus; & quae nunc potestas Archidiaconi?*

## XXXIII.

*Quis dicatur Archipresbyter? quodnam ejus officium? quae auctoritas?*

## XXXIII.

*Quis dicatur Primicerius? quodnam ipsius munus? an illi conferri possit, qui theologiae laurea non sit insignitus?*

## XXXV.

*Quod Sacristae munus? An fulgeat dignitate ecclesiastica? & an possit redditus ecclesiae sine superiorum licentia alienare?*

## XXXVI.

*Quis dicatur Custos? An in dignitate constitutus? quodnam ejus munus?*

## XXXVII.

*Quid & quotuplex sit Judex?*

## XXXVIII.

*An in omni causa, quae sit sui fori, Judex judicare possit? an etiam in causis propriis, vel quibus similem habes: an in illis, in quibus advocatum egit?*

## XXXVIII I.

*An acta & judicialis sententia Judicis solum existimati, si-  
ve qui jurisdictione careat, valida sint? & an requiratur  
titulus coloratus?*

## XXXIX.

*Judici an liceat accipere munera? an ea saltem, quae data  
sunt ad conciliandum Judicis animum?*

## XXXXI.

*Judex an supplere possit ea, quae sunt juris vel facti, &  
ab una parte litigante sunt omissa?*

## XXX XII.

*Quamnam sententiam Judex sequi debeat in judicando? an  
semper debeat judicare secundum leges scriptas? quid ipsi  
statuendum, quum rationes facti sunt aequales, inaequa-  
les juris: quid, quum tam hae quam illae sunt aequales?*

## XXX XIII.

*Nun Judex excommunicatus peccet usurpatione judicii, si  
judicia exerceat?*

## XXX XIII I.

*Quid requiratur, ut Judex non sit usurpator judicii?*



## XXXXV.

*Delegatus Judex quid sit & quotuplex?*

## XXXXVI.

*Quid pertineat ad officium Judicis delegati? an possit cognoscere causam ante rescriptum delegationis sibi praesentatum?*

## XXXXVII.

*Judicis delegati potestas quatenam sit? Quomodo ea cesset? An possit exsequi sententiam causae per suos ministros?*

## XXXXVIII.

*Quis esse possit delegatus Summi Pontificis? quis Episcopi? An laici possint delegari ad causas spirituales: an saltem ad causas temporales ecclesiasticorum?*

## XXXXVIIII.

*Quae causae possint delegari? An ex utroque jure delegari possint imperium merum & sola exsecutio sententiae separatim a cognitione causae?*

## L.

*Quis sit Judex competens personarum ecclesiasticarum? & an ipsarum exemptio a laicis Judicibus sit solum ex jure ecclesiastico, an etiam ex divino?*

## LI.


*An exemptio ecclesiasticorum a Judice saeculari consuetudine, praescriptione, aut peculiari aliquo statuto tolli possit?*

## LII.

*An Clerici conveniri possint coram Judice saeculari saltem actione reali?*

## LIII.

*In quibus causis Judex saecularis in clericos possit procedere?*



Vnum ex praecipuis ecclesiastici hierarchae muneribus est, Ecclesiarum immunitatem tueri. Quamobrem sequentes DE IVRE ASYLI ECCLESIASTICI quaestiones resolvent

D. Michaël Angelus Abrugia. D. Josephus Polfinelli.

LIIII.

**Q**uae sit natura, quae causae potiores, qui effectus asyli ecclesiastici?

LV.

Quam firmum & inconcussum sit jus asyli, si populorum mores, si principum leges, si ecclesiastici canones attendantur?

LVI.

An verum sit, quod adserit Paullus Sarpinus, primis quingentis annis post Christum natum nullum haberi Canonem pro ecclesiastico asylo?

LVII.

Quinam Canones de jure asyli habeantur, quidque in iis statuatur a Saeculo VI. usque ad Constitutionem Innocentii III.?

LVIII.

Ab Innocentio III. quid statutum fuerit, quidque deinceps a Conciliis & Summis Pontificibus?

LVIII.

Quaenam loca immunitate gaudeant? an loca Religiosa & coemeteria? an domus Episcopi ejusque comitatus? an etiam aedes Parochi? an via publica, dum per eam actu deferatur Sanctissima Eucharistia?

LX.

Quae personae ad ecclesiam aliaque immunita loca confugientes asylo gaudeant?

Quae

## LXI.

*Quae sint delicta per Pontificias Constitutiones expresse excepta, ex quibus asyli beneficium confugientibus denegetur?*

## LXII.

*Quis sit modus servandus in recipiendis & protegendis confugis? quidque agendum, si certe immunitatis beneficio gaudeant; quid si dubia res sit?*

## LXIII.

*An iudex saecularis propria auctoritate reum criminis excepti extrahere possit? an Praelati Episcopo inferiores possint, non requisito Episcopo, eum tradere potestati saeculari? Quae sit ratio examinandi quaestionem in dubio, an reus gaudeat asylo? & quomodo procedendum, si habeatur indignus?*

## LXIII.

*Quomodo & per quos confuga male extractus restituendus sit? & quas poenas incurrant violantes jus asyli?*

## LXV.

*In praxi quaenam potissimum prae oculis habenda pro decidendis dubiis circa jus asyli saepe occurrentibus? Quibus in casibus pro reo, quibus contra reum sit pronuntiandum? An Episcopi lenitatem sequi hac in re, an potius Summorum Pontificum in ampliandis casibus exceptis severitatem debeant imitari?*



## DE HISTORIA ECCLESIASTICA

S A E C V L I III.

Respondebunt

D. Theodorus Niccolai.

D. Henricus Vincentius Paf-  
famonti.

LXVI.



*trum Constantinus Magnus Imperator Romae a  
S. Silvestro Summo Pontifice, an sub vitae finem  
baptismum susceperit?*

LXVII.

*Donatistarum schismatis quis auctor fuerit? quae occasio?  
quaeque Concilia celebrata ad illud exstirpandum?*

LXVIII.

*Quos errores Donatistae schismati adjunxerint? Qui ex Pa-  
tribus eos praecipue, & quo fructu consuta-verit?*

LXVIII.

*Quo tempore orta fuerit haeresis Ariana? qui illius progres-  
sus? & quas turbas in Ecclesia excita-verit?*

LXX.

*In quos errores inciderit Macedonius, aliique Saeculi IIII.  
haeresiarcbae?*

LXXI.

*Num, inconsulto Romano Pontifice, convocata fuerint prima  
duo oecumenica Concilia Nicaenum & Constantinopoli-  
tanium?*

LXXII.

*Num plures, quam viginti, Canones statuti fuerint in Ni-  
caeno Concilio?*

An

## LXXII.

*An versio sexti Canonis Nicaeni lecta in Concilio Chalcedonensi praeferenda sit versioni, quam ex Rufino habemus?*

## LXXIII.

*Utrum in sexto hoc Canone de jure metropolitico, an vero de patriarchico sermo sit?*

## LXXV.

*An idem Canon obstet primatui Romani Pontificis?*

## LXXVI.

*Quot Canones statuti fuerint in Concilio Constantinopolitano I.?*

## LXXVII.

*Num S. Athanasius appellarerit ad Romanum Pontificem?*

## LXXVIII.

*Cur convocatum fuerit Concilium Sardicense? & quid in eo statutum?*

## LXXVIII.

*Utrum Concilium Sardicense primo instituerit, an potius solum confirmaverit jus appellationum ad Pontificem Romanum?*

## LXXX.

*An jus a Concilio Sardicensi adsertum sit strictae appellationis, an solum revulsionis?*

## LXXXI.

*An Conciliorum provincialium auctoritas primis Ecclesiae saeculis suprema fuerit?*



DE LIBERIO SUMMO PONTIFICE  
ET ARIMINENSI AC SELEUCIENSI  
CONCILIO.

**L**iberii Summi Pontificis & Conciliorum Ariminensis ac Seleuciensis praesumpto in Fidei formulis errore quemadmodum veteres haeretici Ariani, Donatistae, ac Pelagiani ad ostendendum, IN PAUCIS ECCLESIAM SERVATAM, (ut ex S. Augustino habemus); ita recentiores Reformati, Protestantes, ac Quesnelliani ad impugnandam visibilis Ecclesiae pastorum indefectibilem auctoritatem in definiendis Fidei ac morum quaestionibus abusi sunt. Praecipua cura idcirco hanc Saeculi III. historiae partem nimis adhuc confusam illustrandam suscipient, atque has singulas propositiones indiscriminatim pro argumentantium delectu propugnabunt iidem

D. Theodorus Niccolai.

D. Henricus Vincentius Pas-  
samonti.

LXXXII.

*Synodus Sirmiensis contra Photinum, in qua prima Sirmiensis formula edita, non anno 351. (ut plerique contra Baronium & Sirmondum), neque anno 357. (ut hi doctissimi viri arbitrati sunt); sed labente anno 358. habita fuit.*

LXXXIII.

*Eodem anno Summus Pontifex Liberius ab exsilio Romam rediit.*

LXXXIII.

*Sirmiensis secunda formula nonnisi post Synodum contra Photinum, & a paucis Episcopis Sirmii adhuc degentibus edita fuit.*

For-

## LXXXV.

*Formula tertia Sirmiensis a paucis pariter Episcopis fuit edita anno 359.*

## LXXXVI.

*Ex chronologia ita restituta novum exoritur argumentum, praeter alia haecenus a scriptoribus allata, ad ostendendum, Liberium non secundae formulae (ut volunt plures cum Blondello), non tertiae (ut Valesius), sed primae tantum subscripsisse, immo & subscribere potuisse.*

## LXXXVII.

*Huic vero formulae subscribere non idem fuit, ac Arianam vel Semiarianam haeresim amplecti. quare ex hoc Liberius nullo modo de haeresi accusari potest.*

## LXXXVIII.

*Neque ex eo, quod subscripserit (si fides habeatur Sozomono) libello complectenti ea, quae contra Paullum Samosatenum & contra Photinum fuerant decreta, & Fidei formulam in dedicatione Antiochensis basilicae editam.*

## LXXXVIII.

*Haec quidem, permessa communi sententia de Liberii subscriptione. Ceterum ex coaevis ipsis scriptoribus (quorum alii Liberii subscriptionem in dubium revocant, alii indicant haereticorum esse commentum, fere omnes denique in hujus facti narratione inter se dissentiunt; ut diligentius inquirenti constabit) atque ex Romanae Ecclesiae constanti in Liberium amore, summi & admirabilis Pontificis lapsum Arianorum calumnia & consuetis fraudibus confictum in vulgus prodiisse, deducimus.*

## XC.

*Veterum opuscula hunc lapsum adserentia nihil in contrarium evincunt, ab Arianis enim suppositas fuisse litteras Liberii*

*berii ad Athanasium & hujus ad Liberium, cum Criticis fere omnibus affirmamus.*

## XCI.

*S. Hilarii Fragmenta, in quibus Liberii subscriptio narratur, foede ab iisdem haereticis interpolata, cum Baronio, Binio, & Maurinis censemus.*

## XCII.

*Non primam solum in Fragmento 4.º Liberii epistolam (ut plerique cum Maurinis), sed & alias tres, & anathematismos ipsis adfutos, judicamus Arianorum opus.*

## XCIII.

*Aliena manu addita est narratio lapsus Liberii in Historia Arianorum ad Monachos a S. Athanasio scripta.*

## XCIII.

*Nulla denique fides Praefationi Faustini & Marcellini pluribus mendaciis refertae haberi debet; &, ex falsis sparsis rumoribus illius Auctorem deceptum, paucosque alios sub finem Saeculi IIII. scriptores, Liberii lapsum adserere, merito affirmare possumus.*

## XCV.

*STRENVVS igitur VERITATIS PROPUGNATOR ET ARIANORVM VICTOR ILLUSTRIS (ut ait Theodoretus) non modo ante & post exsilium, sed in ipso quoque exsilio Liberius censeretur debet; ac jure meritoque inter Sanctos a pluribus martyrologiis, etiam graecorum, adscriptus.*

## XCVI.

*Hanc opinionem cum sanctitate & martyrio Felicis II. ejusque Episcopatu, tamquam Liberii vicario (ut aliquibus placet), componi posse, nec in Religionem Pyrrhonismum invehere propugnamus.*

*Quod*



## XC VII.

*Quod attinet ad Concilia Ariminense ac Seleuciense: Saeculo IIII. vox ΟΜΟΟΤΕΙΟΣ non fuit necessaria catholicae Fidei nota TAMQVAM SINE HAC VERA FIDES NVLLA ESSET: immo POTVIT ET PIE DICI, ET PIE TACERI; ut ait S. Hilarius.*

## XC VIII.

*ANTEQVAM CONCILII ARIMINENSIS STATVTA ARIANORVM TERGIVERSATIONE CORRVPТА FVSSENT, VNVM ATQVE IDEM PIE DICEBANT, qui Filium Dei ΟΜΟΟΤΕΙΟΝ, ac qui ΟΜΟΙΟΤΕΙΟΝ praedicabant.*

## XC VIII.

*Hinc plurimos Patres acerrimos Arianorum persecutores ab omni Semiarianismi labe defendimus.*

## C.

*S. Hilarius in Libro de Synhodus non INVITVS AC SOLO PACIS STUDIO (ut contendunt Cll: Maurini) ΟΜΟΙΟΤΕΙΟΝ suscepit, & Homoeusianos laudat; quamvis in libris scriptis post Concilium Ariminense diversa sentiat.*

## CI.

*Hinc Concilia Ariminense & Seleuciense nec Arianam nec Semiarianam Fidei formulam promulgarunt.*

## CII.


*Quamvis tamen in Fide errassent ii Episcopi; multo adhuc plures per universas ecclesias dispersi Episcopi Nicaenam Fidem docebant.*

## CIII.

*Persequente Ecclesiam Constantio Imperatore, ad paucos Episcopos ac Fideles non redacta fuit Ecclesia; sed semper longe omnino plures fuerunt Catholici, non solum si comparentur cum singulis, sed etiam si cum omnibus Arianorum sectis.*

A. M. D. G.

IMPRIMATUR,  
Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.  
*D. Archiep. Nicomed. Vicesgerens.*



IMPRIMATUR.  
F. Thomas Aug. Ricchinius Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Mag.



